NOBILI GENEROSO, ET MAGNIFICO COMITI, DOMINO

Antonio Fugger, Dño in Kirchberg, & Vueisenhorn, Domino suo clementi.
Petrus Auianus ex ualle Ioachimica.
S. D. P.



VM Studiorum meorum absoluendorum causa, Generose ac praeclare Domine Antoni Fugger, Domine clemens mihi, iter uersus Italiam instituerant, ex multis intellexi, & in primis à Domino Petro Kirchbuglero uiro praestanti eruditione & uirtute praedito, in Oeniponto, mihi narratum fuit, Generositatem tuã, literarũ utilium peritum, & patronum esse, & dominũ, nõ exiguis aut popularibus uirtutibus exornatum.

Cũ itaq; literis, ad nobilẽ Dominũ, Georgiũ Hermãnũ, uirũ praestantissimũ & prudentissimũ, summa obseruantia colendũ, diuina quadã sorteperuenerã, re ipsa atque ueritate uirtutes, antea undicunq;, constanti & cõmuni fama celebratas (quae quidem ut dici solet, nũquã aut raro de nihilo esse solet) in tuae Generositatis pectore sitas esse animaduerti, & expertus sum.

Quis enim est, cui non perspicua sunt illa, quae ab Anaxagora doctissimò recitantur? Cum inquit. Tum maximè in animis uirtutes uersari, cum ad eas confer-

uandas operam damus, & ita omnes semper iudicarũt, acerrimam prudentiam, & uirtutum segetem augustumque & sacrum quasi fontem esse, in eorum mentibus, qui posteritati, sua cura, auxilio, & ope, in conseruandis & ornãdis studijs, summopere cõtendunt. Neque sanè obscurum est nobis in quanta dignitate, honore, & gratia omnium mortalium, nunc sint ipsi, iam dudum etiã ex hac uita euocati, qui olim de studijs benemeriti sunt, & tãta certè celebritate, ut illorum defunctorum uita, in sempiterna sit memoria uiuorum.

Itaque quia tua clementia, prudenter & præclare, ex suis facultatibus, ad artes conseruandas haud dissimilem uirtutem exerit, quemadmodum quidẽ tota Generosa familia, & in primis Generosus Dominus, Ioannes Iacobus Fugger, prudentiæ & scientiarum præstantissimus commendatur, & tua clemẽtia, meis quoque studijs, liberaliter commodat, non tantum ipsa sibi futurorum memoriam, & sempiternam testificationem posteritatis emerebitur & consequetur, uerum etiam præsentium omnium, prædicationem & gratam animi uoluntatem, sine controuersia, arctissimo uinculo, & adamãtino clauo ut pyndarus inquit, cõiũgit et cõciliat.

Idcirco Generose, & Magnifice Domine Antoni Fugger, Domine mihi clemens, cũ ipse non minimo merito à tua clementia sim affectus, anxie sollicitus fui, si non planè rationis, & uirtutum necessariarũ inter homines, ignarus & expers censeri uoluerim, quo nam modo, pro meritis tuæ clementiæ. dignas aliqua ex parte, persoluerem grates.

Cogitabam igitur, me non inanẽ aut irritum laborẽ

consumpturũ, si de Auri metalli uirtutibus, & efficiẽtia, in beneuolẽtiæ testimonium commentarer, nec dubitabam quin in materiam auribus tuæ genorisitatis, dignam & gratam incidissem, ut tuæ clementiæ, quoniam ipsa uerum usum & optimum, auri intelligat & exerceat, naturalem quoque efficientiam, & proprietates in memoriam reuocarem & subijcerem, præsertim cum natura nostra ita formata & creata sit à deo, ut non facile uersandis, & tractandis rebus defatigari posit, nec uni, aut paucis tãtum, perpetuo esse contẽta, sed gaudere & recreari uarietate.

At roget quis hoc loco, quæ nam causa me ad huius rei tractationem impulisset, quoniam metallicis non usus fuissem: huic responsum uelim, mihi nato in loco metallico, non deesse facultatem aliquam hoc presertim tẽpore, qua susceptum negocium defenderem Hesiodum imitatus, qui expositurus nauigandi præcepta, ipse semel tantũ in mare fuisset, ait: & hisce carminibus planissime testatur.


Nunc maris undisoni, quæ sit natura docebo.
Indoctusque rates regere, ignarusque carinæ.
Nam neque sum uectus, per salsas nauibus undas.
Ni quod in Eubœam iampridem ex aulide ueni.
Sic tamen ætherei, possum Iouis edere mentem.
Obscuros me quippe modos docuere camœnæ.

Hæc igitur, Generose & præclare Comes, domine mihi clemens, quæ diligentia & studio assecutus sum, & cum ea ipsa, clarissimi & prestantissimi uiri, Domini Doctoris Bassiani Landi Placentini, celeberrimæ Academiæ Patauinæ excellentissimi, & doctissimi pro-

fessoris & praeceptoris mei obseruandissimi auctoritate & indicio, quod apud me, & singulos iudicãtes uere, plurimum ualere debet, & solet. typographo tradere hortatus & iussus sim, Tuae clementiae nuncupata & consecrata esse uolui; spero tuam Generositatem probaturam & facile admissuram.

Et ad tuam Genorisitatem omnia mea studia, operã & diligentiam, me denique totum defero, Et Deũ oro, ut ita tuae Generositatis mentem gubernet & regat, ne ipsa optimarum disciplinarum & literarum conseruationem & curam deponat, aut imminuat, sed hoc potius, quod tuae clementiae totique Generosae familiae persuasissimum est, ut ipsa secũ constituat, hac re nullam rem aliam, neque Deo ipsi acceptiorem, neque humano generi magis salutarẽ, neque ad laudem et sempiternam memoriam oportuniorem esse posse. Bene & faeliciter uale.

Datae in urbe Patauina. M. D. XLIX. xiiii. *Mensis Martij,*



RAVISSIMVM & dulcissimum est Platonis dictum, cum ait: Illustrē famā de Deo in artibus sparsam esse. Testatur enim hæc sententia certitudinem artium, & uniuersam philosophiæ doctrinam, & donū Dei esse, & insigne prouidentiæ testimonium. Et si Deus hominum mentibus nō indidisset lucem quādā (è qua nūc exuscitatæ sunt artes uitæ utiles, & quas Deus uult extare inter homines & cognosci) tamē facile ex tam mirifica, tantaque naturæ operum & spectaculorum quasi uarietate, maxime intelligi posset, mūdum hunc æterna aliqua mente regi, & gubernari, ut sapienter Aristoteles in primo de partibus animalium inquit: Cum in omnibus partibus naturæ sit admirandū quiddam, satis apparet mundum hunc casu non extitisse. Et philosophi ueteres, in humani corporis consideratione in hanc adducti fuerūnt sentētiam, ut existimarint, non temere nec casu, sed Dei prouidentia, exstructum & edificatum esse mirandum corporis opifitium; ita & Galenus ipse inquit, Anatomiæ scientiam ducem nobis esse ad Dei cognitionem. Sic & Cicero disserit: Homines uident speciem & candorem cæli, & celeritatem tantam conuersionis, quantam cogitare nō possumus, tum uicissitudines dierum & noctium, commutationesq; temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & temperationem corporum aptas, eorumq; omnium moderatorem & ducem solem, lunamq; accretione & diminutione luminis quasi fastorum notantem. & significantem dies, uident deinde globum è ma

ri eminentem, & multa & uaria hominum causa creata. Hæc igitur, *& alia innumerabilia cum cernimus inquit, possumus ne dubitare? quin his præsit conditor aliquis, effector & moderator.* Et *siquidem multa sunt quæ confirmant prouidentiam: tamen nullum illustrius uel euidentius extat testimonium,* Deum, *uniuersum mundum, & omnes eius partes regere & administra= re, quam operum naturæ ipsius intuitus, & eorũ uir= tutum, in naturæ partibus pulcherrimis consideratio. Cum enim plenissimas terras, infinitis ferè medicamẽ= tis salutaribus, & innumerabilibus rebus, ad uictum, & uitam necessarijs, à* Deo *creatis, cernimus, negare non possumus mente cõsilioq; diuino, omnia in hoc mũ= do, ad salutem omnium, conseruationemq; admirabiliter administrari.* Hæc *cum ita sint, quid est, quam quod Cyclopicas* Epicuri *disputationes, qui sine consilio* Dei *naturam extitisse contendit, execremur.*

Nam *quid tanta uoluptate intueri, & contemplari possit, quidue diuinius & præclarius est, quid precio= sius & præstantius in mundo, ipsis* Dei *operibus, & naturæ, cũ uarijs corporibus, tum infinitis.* Quare *digna est bonis mentibus diligentia, obseruare naturæ proprietates & effectus, ut* Deum *agnoscamus, & hi= sce uirtutibus naturæ reuerenter utamur tanquam di= uinis muneribus, quorum abusum uidimus horribiliter puniri, nec profectò tristes illæ pœnæ, ut in multorum exemplis patet, casu acciderunt.* Et *quia opificij ra tio testatur, has res non solum magno cum consilio, & diligentia fabricatas, à mẽte illa infinita, & ortas esse: uerũ etiam singulas partes mirabili modo & proprie=*

tate distributas, & ad certos fines destinatas esse, nulla certo pietate, nullisq; uirtutibus concitari eos necesse est, qui nihil uel temporis uel studij, ad naturæ arcana peruestiganda, conferunt. Cum præsertim mentis, seu intellectus hominis, præcipuum sit munus, has res utilissimas, & longe pulcherrimas inquirere, & contemplari. Rex Alexander in fastigio rerum humanarū positus, & ad gubernaculum uitæ sedens, præterquam quod legibus, historijs, & alijs studuit rebus, quæ ad regem pertinebant: tanta mirifica uoluptate: ad omniū animalium generationem, partes, ingenia, uires atque actiones penitus cognoscendas intentus & delectatus fuit, (quibus quidem ad cognoscendum nihil esse potest uel iucundius, nihil grauius, uel conducibilius etiam.) ut octoginta talentorum, in eiusmodi obseruationem, nempe in coemendis beluis. & cōducendis his, qui singulas beluarum actiones diligenter obseruatas, & perspectas, ad Aristotelem referrēt, impēderit. & erogarit, de quorum uirtutibus ab Aristotele uolumina duo & uiginti, quæ adhuc, ingenti uerborum copia, & ornatu extant conscripta. Cum ergo Alexander Rex præstantissimus, tantos fecerit sumptus, omnes curas et cogitationes, in perquirendis naturalibus consumpserit fere, atque contriuerit, & Deus sua bonitate tā preclarum thesaurum nobis in creaturis omnibus, large profuseq; donarit, pudeat nos, nihil studij aut operæ, cum propter nostram utilitatem, & usum omnia in uniuerso orbe terrarum cōdita sint, disperdere aut collocare. Principia enim rerum naturalium nō penitus ut moralia, nobiscum nascuntur, sed necesse est, ut

arcana naturæ ſtudio noſtro quærantur & inueſtigen-
tur, & eſſe in nobis habilitates quaſdam, ueluti quoſdã
igniculos. & ſeminaria quædã quas græci ἐπιτηδειό-
τητας uocant, unde homines propendent ad rerum ob-
ſcurarum inueſtigationem. Hominis enim intellectus,
ut Ariſtoteles lib. de anima dicit: eſt uelut tabella nuda,
quæ diſcendo demum res uarias, & optimas in natura
reconditas accipit, quia multæ nequaquam adhuc ſatis
explicatæ ſunt, quæ perdifficiles et perobſcuræ reſtãt,
& magis magisq; artium euidẽtia, & hominum ſaga-
citate, ingenijs & ſolertia, Dei uolũtate perſpicuè cla-
reſcunt. Quis ergo tam immanis, tam aſper, & cru-
delis cenſetur, qui ſummi architecti, pulcherrima abſo-
lutaq; opera, miraculis uarijs plena, & referta cogno-
ſcere, ſummoq; ſtudio amplecti nõ deſideraret. Et la-
xati curis, cũ ſpectare aliquid uelimus & uiſere, mul-
tò id rectius & liberius totos nos in cõtemplandis re-
bus naturalibus perſpitiendisq; ponamus, propterea
quod inſatiabilis quædam cupiditas ueri uidendi, men-
tibus noſtris inſit, & ſi quis minime cõtemplatione ea-
rum delectatur, hic quoque prorſus ab hominis natura,
ut Cicero ait, longe degenerauit. Sed plerunq; na-
turæ miracula, quemadmodum. S. Auguſtinus de diui-
nis dixit, aſſiduitate & quotidiana conſuetudine nobis
fiunt contemptibilia, ut ad ea contemplanda, celebran-
da, admirandaq; parum aut omnino nihil, animum eri-
gamus. Cuius enim architecti opus tantum fuit un-
quam repertum in mundo, in quo ſimilis uis naturæ ſa-
pientia, tantaq; omnium bonitas et uoluptas reluxiſſet,
immo, nec umbra, nec ueſtigium ullum apparuiſſet, quã

ta certò uarietas, & firma & stabilis uirtutum omniũ pulcherrimarum hominum generi utiliũ, & iucundissimorum spectaculorum differentia quotidie eminet, atq; uidetur. Hæc cũ in multis naturæ partibus facile ostendi queant & declarari satis dilucide possint, rectius tamen & commodius demonstrandum hoc mihi esse, si de Auri metalli Natura & Facultate, uerba facerem. Et existimabam honestis causis motus, me non incommodè facturum, si de hac parte naturæ amplissima, & preclara breuiter dissererem, & in memoriam reuocarem ea, quæ sapienter per doctorum literas ad nos peruenerunt eaq; qualicunq; diligentia augerem, & conseruarem: Elaborãdum est enim, ut artes floreãt & crescãt quottidie, ut deinde & à posteritate maiorem splendorem indies, lucemq; recipiant & crescant, magisq; uigeant, ne hominum interitu, res quoq; occidant desertæ atque relictæ à nobis. Idcirco, etsi parum me præstaturum esse iudicaram. tamen operam illam dare uolui, ut doctioribus occasionem et materiam, fusius prolixiusq; scribendi & cogitandi subijcerem.

Hanc enim materiam ad me in uallibus Ioachimicis, loco metallico natum, pertinere arbitrabar, ut tẽtarem quid in hac phisices parte possem. Video quidem hãc materiam, de Auri natura, latiorem & difficiliorem esse, quàm ut mea etiam tenui & paupere oratione, & exigua peritia in eo, explicari satis possit, uolui potius ut prudenter Gratianus Imperator dixit: Eloqui non quantum debeam, sed quantum possim, & uideo quoq; cæteros, qui de corporibus metallicis scribere ingressi sunt, & hoc & alio tempore, nõ omnia, quæ ad iustam

& integram cognitionem requiruntur, tradidisse, nec ex augusto, sacroq; fonte permanare. Et ego, cum maiorẽ copiam scientiæ, grauitatem & ornatũ, magnifice gloriari, aut promittere nec uelim, nec possim, spero, cum præsertim honestus conatus suam etiam laudẽ mereatur, bonos, doctos, cãdidosq; uiros huic instituto fautores benigne futuros esse, copiamq; crescendi cõcedere. Cũ in primis eiusmodi argumentũ legẽtes per se delectare, & soleat & debeat. Hæc.n. pars physices nequaq̃ cõtẽnẽda, aut uilipẽdẽda est. Collegerunt philosophi multa naturæ miracula ĩ cœlo, multa arcana, et secreta in aere, et aĩantibus aĩaduersa, & in his multa dininitatis monstrant uestigia, quæ etiã longe extra humanæ rationis conspectũ posita sunt, & in quibus philosophia tenebras suas fateri necesse. Sed profecto metallorum contemplatio, & auri precipue natura, et facultas, hæc omnia philosophorum commẽta uincit, atq; superat, nec illis naturæ cedit partibus, sed facile palmam inter eas obtinet. Est enim huius metalli tanta salutaris, tamq; magnifica uis, & naturæ uirtus, ut nullius rei, uel dignitas, uel bonitas buic præclaro corpori metallico, & conferendi, noscendi & habendi proprius accederet. Proinde amant hoc & mirantur homines, utilitatis potius causa, quem tamẽ affectum repræhendere omnino non possumus, si non penitus fœda illa cupiditate, qua omnes capiũtur imperiti, & inexplebili habendi siti, dementati sunt. Est enim animi bene instituti, nõ tantum quæstum aut lucrum cogitare, sed rectius naturam ipsam, & facultatem intueri. Et quis non diceret, mentem & lucem oculorum his

ereptam esse, & densissimis tenebris, subitaq; quasi no cte, eorum sensus oppreßos esse, qui utilitatis propriæ causa, Aurum amplectũtur & intuentur, nec student opes illas, quas Deus ex terra hominibus suggerit, ad utiles salutares & neceßarias res, uitæ hominum, referre, & deriuare, in primisq; ipsi Deo patri cœlesti gratos acceptosq; cultus exhibere, & declarare. Siquidem hũc Auri usum popularem, Ciceronis de senectute sermo, uenuste depingit, ubi cõmemorat: quod Samnites, cum magnum auri põdus Curio attulißent, repudiati sint ab ipso, & respondisse eum inquit. Non præclarum sibi uideri, habere aurum. sed eis qui aurum haberent imperare. Significare enim uoluit, tum Aurum, ut donum Dei, in sordido quæstu esse cæpisse, & à uero fine degenerasse. Quamobrem iudicare uolumus, Aurum non hominum tãtum opinione, & existimatione nobilius & præstantius eße metallum, sed sua uirtute, & mirabili naturæ efficientia. Et quemadmodum stoici errant, affirmantes uitia & uirtutes opinione, nõ natura, differre, ita lõge à re ipsa atq; ueritate dißentiunt, qui affirmant, opinione tantũ metalla inter se differre & distare, nec alia generosiora eße alijs, naturæ proprietate. & uirtutis naturæ efficientia. Hæc enim est hominum parum consideratorum mens atq; iudiciũ, nihil in his terræ muneribus aliud utilius aut præstantius, nisi solum quæstum spectantium, & iudicantium. Et quoniam omnes res in uniuerso orbe terrarum exstructæ, & creatæ præcipuè à Deo sint, non ut usum præbeant tantum quottidianum, sed uidelicet etiam ualetudinis curandæ, certam rationem, & utilitatem sup=

peditarent. Studium & diligentia in his acquirẽdis uituperari & damnari non poteſt. Sed tamẽ nõnihil ſceleris eſſet, non ſenſu uirium illarum naturalium affici, & turpiſſimũ eſſet, res quas quottidie circumferimus & in quibus adipiſcẽdis gnaui et induſtrij ſatis ſumus, nihili pendere & negligere. Non enim forte ita nec ubicunq; naſcitur, ſingulorum deinde metallorum mira origo, mira ſympathia eſt & diſcordia, unde illuſtre teſtimonium ſumi poteſt, mundum caſu non exortum eſſe. Sunt & ſingulorum certæ leges, et certa cum alijs fœdera & cognationes, Vt enim Argento cum galena, ſiue plumbagine quam Plinius μολύβδαιναν etiam uocat, naturalis eſt amicitia, & argentum cum galena, quæ eſt uena, tum ſolius plumbi, tum communis argẽti & plumbi, quæ plerunque iuxta argenti uenas reperitur excoqui non poteſt: ita Aurum, argento uiuo purgatur, nec aurum ei in eo certamine naturali repugnat, uerum purgatur optime.

Sed ut demum redeamus unde digreſſi ſumus, res neceſſarias & ad propoſitum maxime pertinentes non temere præterire oportet. Vt enim in actionibus humanis εὐταξία ſpectanda eſt, ita uel maxime in deſcribendis rebus naturalibus hæc obſeruanda ſunt, propterea, quod de ſententia Platonis: Ordo eſt rerũ eſſentia, proinde quicquid boni in rebus reperitur, ut inquit Ariſtoteles, ex ipſo ordine pendet. Vt enim animalia ſine uita conſtare non poſſunt, ſic nulla rerũ cognitio, ſine ordine recte tradi non poteſt, alioqui non eſſet cognitio, ſed potius quædam rerum confuſio, & perturbatio.

Quare quam fieri poteſt, propria, & εὔστοχα, uſi=

tato more & ordine rem ipsam prosequar, & à defini=tione ut præcipit plato, principium sumam.

CONstat igitur Aurũ eße purisſimũ metallicũ cor=pus citrinũ, splendidũ, fulgens, põderosum, mutũ, æqualiter aqua minerali, in terræ uẽtre perfectè diuq; lauatum & digestũ, ex purisſimo argẽto uiuo, & sul=phure rubeo non adurente mũdisſimo, beneficio caloris cœlestis, occultã efficientiã seu ἐνέργειαν, & mirabilẽ usum ingenerantis, quod extendi, fundi potest, & ad omnia examina consistere.

Hanc philosophorum descriptionem siue notionem, ideo recitaui, ut et breuius ordine definitiuo, & facilius to=tam Auri naturam per suas causas, tum internas, tum externas exponerem, siquidem ut Aristoteles primo physicorum, & aliàs sæpisſimè docet: Nũc arbitramur nos, rem quamq; cognoscere, quum principia causas, et elementa propria cognoscamus. Propterea dabo ope=ram, ut quam exactisſimè omnia genera causarũ com=plectar, & ut id à me commodius fieri posſit, à facilio=ribus, & notioribus quibusdam principijs, ducã initiũ, propterea quod nobiscum hæc progrediẽdi uia natá est, notiora autem erunt ipsa accidẽtia siue qualitates, quæ sensibus ipsis sunt conspicuæ. Ex his enim fiet, ut cau=sas aptas, & à natura quasi inuolutas fœlicius intelli=gamus, nam ut inquit Aristoteles. 1. de Anima, Acci=dentia ipsa;, magnam partem conferunt ad cognoscen=dum, quid sit res quæ cadit in contemplationem, itaq; me operæpretium facturum existimo, si, antequam de principijs Auri occultis edisſero, à Colore Auri auspi=cabor. Est enim accidens, & qualitas maximè conspi=

quasi centrum totius cœlestis sphera, & uirtutem etiã maximam esse solis per terram ipsam; quoniam ut inquit, radij, in ipsa coeunt, & conspirant, ideo terra per ipsum multarum & mirabilium uirtutum & effectuũ est productrix. Et *aurum cũ soli dedicatur & ex nobilissima purissimaq; ætheris parte generatum sit & effectum, tribuenda est huic præ alijs corporibus omnibus metallicis nõ minima aut exigua uirtus & operatio.* In *perfectis enim ut Chrysippus apud Ciceronẽ inquit, maturis, & absolutis optimi sunt effectus & uirtutes. quia omne generatum imitatur suum effectorem.* Et *uidemus sole nihil purius, nihil nobilius aut lucidius existere.* Ideo *causam suam in his imitatur à qua omnino, & magna ex parte generatum est.*

Declarari hoc uel facile potest, in cæteris metallis, male temperatis minusq; puris & subtilibus, quod unũ ab altero, secundum luminum differentias distet, & discrepet. Vt *enim Sol lumina cætera exsuperat, ita* Aurum *reliquis metallis, quod est subtilissimũ & purissimum excellit.* Quis *præterea negat discrimen, luminum cerni posse, in humoribus corporum humanorum, ut* Pontanus & Ptolomæus *testantur. ita enim censent itaque differunt:* Saturnum & Mercurium *bilem gubernare atram,* Martem *ruffam, sanguinis uero humori temperatissimo & optimo,* Iouem, Lunam & Venerem *præesse. Sed conspirationes diuersorum syderum, inuehunt, innumerabiles differentias, quare illi magis fauent uitali calori, istæ mouent & suppeditant humorem.* Sic *enim* Ptolomæus *in sententia.* 87. *inquit* ὁ ἥλιος ἐστὶ πηγὴ τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, ὁ δὲ σε-

λύνα τῆς φυσικῆς. hoc eſt, Sol eſt fons potentiæ uitais, ſeu cordis caloris. Luna uero potentiæ naturalis ue getatiuæ. Nam humor aqueus ſeu flegmaticus, non ſolum à luna originem ducit, ſed etiam augetur, ut ex fluxu & refluxu maris apparet. Humorem aqueũ corporibus Venus, qui radicalis eſt, inſtillat. Proinde Aurum à Sole & Ioue, ut infra dicetur tanquam à præ ſtantisſimis luminibus gubernatur. Et conſentaneum quoq; nobis uideri debet, Aurum ab aurora nomen ha= bere, hoc eſt à Sole, quod colorem ipſius referat omni= no. Delirantium et auarorum eſt hoc ſomnium ina= ne, qui ab ὡρέω, id eſt, à cuſtodia, trahere nomen con= tendunt. Color enim ſubrubeus eſt, fuluus, & ſplen= didus, perinde ut Sol, ſeu ſplẽdor ipſe matutinus, in cæ teris metallis abſimilis eſt, nitẽt quidem ſplẽdide, poli= ta egregie, et à ſordibus leuigata, propter aqueũ illud ſubtile, in eis terminatũ & cõdenſatũ. At aurũ cõ= ſtãtius rectiusq; fulget, et emittit ſplẽdorẽ, cũ aqueum ſubtilius et purius à Sole, ſit defęcatũ, & decoctũ. In ferro depurato conſpicitur maximus fulgor, & con= ſpicua claraq; lux, ut uicinũ cæteris, & æquum eſſe cẽ ſeatur. Sed cum ſit corpus ex terreſti, aduſta & fuligi noſa materia, nec æqualiter digeſtum, minimum locum obtinet. Etſi ſua claritate, ut in ſpeculis, imagines re= cipit propter humiditatem indigeſtam & terreſtrem materiam aduſtam: tamen ille fulgor, citò contrahit ru= biginem, & enaſcitur facile in eo putredo. Aurum uero omnino expers eſt huiuſmodi uitij ut Ariſtoteles in tertio metheorologicorum. Et cum adurentia, ut ſal, ſulphur & ſimilia proijciuntur in ferrum, rubigi

nem extrahunt, quia ipsum adurunt, & signũ est, quod metallum sit impurum & crudum. Argentum contra ex his candet & albescit, multò minus Aurũ, quia humiditas in auro subtilissimè solis beneficio digestum & dispositum est, Terreum uero, mundatũ, purgatum, equaliterq; commixtũ, & congregatum. Ex his apparet Auri colorem oriri, solis forti decoctione ex humida & terrestri materia, qui color citrinus est, & constans, candens, & perfectus, & soli ipsi conformis.

Aes quidem citrinum est, sed differt longè, propter materiam impuram adultam, & inequaliter cum humido mixtam, declinat enim propter fuliginosam nigredinem, expurgatum longè ab auro & citò quoq;, ut uasa ærea indicant, corrumpitur.

Atque hactenus de Auri colore & eius nomine: nunc proximum est ab his, ut ad causas internas aggrediar, de quibus me dicturum ab initio promittebam, ut exposita tota definitione uel descriptione potius uniuersa, Auri natura innotescat. Atq; in primis de materia dicendum est. Deinde de reliquis causarum generibus, quandoquidem materia sit quoddam uehiculũ formæ, & omnes sui effectores, ictus, & mutationes, quæ quidem mutationes, non frustra, nec temere à natura instituuntur. Sed propter aliquem finem & usum.

Avrum itaq; minimum terræ habet, namq; à purissimo & clarissimo argento uiuo & sulphure mundissimo, rubeo, non adurente in minerale producitur & formatur, in quo plurimi halitus redundant, qui & pinguissimi & optimi sunt, neque in Auro ulla est

corruptio, neutra enim pars ipſius, eſt imperfecta, aut intemperata, ſed undequaq; ſibi ſimilis & conformis.

Cum autem (Sicut cætera omnia, ex ſulphure & argento uiuo, compoſita) ſulphur ſuum lucidisſimum & mundisſimum, & per loturas fortes ad puritatem deductum ſit, & uacuũ ab omni cremabili unctuoſitate, & flegmatica humiditate euaporante, & extremè mũdificatum, atq; in terræ concauitatibus per ſolis, & ſtellarum uirtutes attenuatum fortisſimeq; conniunctum & cõpactum, corruptioni igitur aut uitio obnoxium eſſe non poteſt. Et *eodem modo propter hanc ſuam materiam, & ſubtilem ſubſtantiã ſulphuris quod in argentum uiuũ ingreditur & penetrat corpus ſolidum, pondus & color fulgens efficitur.*

T*radunt philoſophi ſulphur ex terræ albedine prouenire, quæ temperata decoctione inſpiſſatur, quouſq; etiam induretur, & ſicca fiat, et in minerum uertatur.*

A*rgentum uiuum uero, oriri aiunt, & componi ex terra alba ſubtilisſima, ſulphurea mixta fortiter aqua clara, & limpidisſima, quam terra parit, & unita, quandiu humidum à ſicco, & ſiccũ ab humido æqualiter tẽperetur, donec in unã ſubſtantiam conuertatur, et unũ ab altero ſeparari amplius nõ posſit temere, propter aquæ ſubſtantiæ, quæ eſt in argẽto uiuo congelationem, & ſiccitatem terreſtrem optimam in ſulphure exiſtentem.* H*æc longam in corporibus metallicis differentiam gignunt compoſita inuicem, reſpectu uidelicet* M*ercurij puri, uel impuri, & ſulphuris mundi uel immundi, & ſecundum minus & maius.* M*ercurius.n. ſua natura amat copulationem & cõiugium ſulphuris,*

quamobrem si sulphur fuerit purum, rubeum, in quo est optima uis ignis non urentis, coagulat mercurium in Aurum putissimum & purissimum, ut Aristoteles in quarto metheoron affirmat, si sulpur autem fuerit album non urens congelat mercurium in argentum bonum. At immundum sulphur, fœditum, terreum, fixæ crassæq; substãtiæ, Mercurius uero porosus, terrestris adurens, & immũdus, gignit ferrum. Sulphur autem malum, & Mercurius substantiæ bonæ, conuertitur in Aes. Stannum uidetur bonũ Mercurium habere, sed sulphur malum est, nec mixtum bene, ideo caret ipsum sufficienti cõgelatione. plumbum denique est, ex pessimo argẽto uiuo, maliq; est saporis fœtidi scilicet acutiq; & uirtutis debilis, Ideo assidue ignis uiolentia corrumpitur, & metallum ex nimio sulphure, adurente presertim malum reddit quoque & fœtidum saporem. Aurum non fœtet neque sapit malè, nam malitia acuti saporis in sulphure per aquam mineralem depurgata est, & abstrata, cõtinet enim in se lentorẽ, qui temperaturæ est tenuis, & integrè commixtæ, propterea minus exhalat minusq; odorem perfundit, unde ostẽdi potest, quòd ei in igne nihil decedat. Argẽtũ consumitur & aduritur, ideo magis odoriferum & halituosum est, propter sulpuris copiam, & inæqualem compositionem. Aes propter hanc causam magis absumitur, ingratumq; & fœtentem gustum relinquit. Plumbum & stannum habetes habent sapores, & obtusos, propter aquositatem multam. Sed aes & ferrum inter omnia maximè uaporant, & pessime sapiunt. Nam ab his aquarum sapores uehementer infi-

tiuntur, & aqua egrediẽs de terra ubi æs latet, amara est & abominabilis, siquidē uinũ uel simile in uasi æneo infusum, inficit sapore turpissimo concitante nauseam, & fastidium. Aquam puram propter suam naturalem frigiditatẽ, nõ corrũpit temere reprimit, enim ea eua-porationem. Sub terra profunda, ubi calor inclusus est, alia est ratio, contaminatur enim stans adeo ut dã-nosa, & exitialis sit animalibus & hominibus eam bi-bentibus, ut in locis metallicis uidimus sæpe.

Hæc dicta sint, ut intelligi possit ex sapore & odo-re discrimen esse, perfecte digestorum metallorum, & imperfecte constitutorũ, quæ deinde ad facultates Au-ri demonstrandas, & uirtutes conducent adprime.

Estq; præterea notandum, quod cum sulphur fuerit simplex & sincerum, magis gaudeat, & cohereat ar-gento uiuo simplici, & mundo, & fortius inter se cõ-iungantur, & coeant, perfectius præstantiusq; effitiãt metallum, nec tamen imaginemur, omnis generis sul-phur, fixum nempe & prorsus immundum congelari cum Mercurio, quia sulphur in Auro non uidemus iu-xta Auicennam, neq; reperitur super terram, nisi quantum in duobus corporibus Sole & luna est, in sole perfectigris est digestionis, & est rubeum simplex. In luna album minoris decoctionis. Flauities enim in auro significat, ut Aristoteles testatur completam & ueram digestionem. Calorem enim agentem in hu-midum nigredinem generare, in siccum uero, albedi-nem, ex albedine postea purissimam flauitiem causare inquit, & confirmat sententiam suam ex urinæ dijudi-catione, si urina alba est, defectum caloris monstrat na-

turalis. Flauus color uerò perfectum & absolutum.

Et paulo post dicit calor naturalis, cum domuerit materiam, aut humorem peruenit ipsa, ad coctionem, et maturitatem incoctas, crudas, crassas, manere & imperfectas ut in argento, ubi sulphur album imperfectè, digestum, nec nigredine, propter defitientem caloris actionē, priuatum sit, maior est cruditas, & minor quoque uirtus, Calor enim omnium, tum actionū, tum uirtutum in natura est faber & organon, & ab eo omnia generantur rectè, aluntur, & conseruantur, dempto eo, uniuersa moriuntur, & intereunt.

Ex his ut arbitror, liquidè constat, quæ sit auri materia. Porro materia est principium patiendi, & ideo à philosophis appellatur potentia. Forma uero est principium agendi proinde dicitur actus, quod ex ea proficiscatur actio, sed actio & perpesio, actus & potentia sunt in genere relationis, Relatiuorū autem ea est natura, ut alterum perfectè cognosci non possit, nisi & reliquum cognoscatur. Ideo posteaquam de materia dictum est, sequens est, ut de altero principio dicamus, ut cognitio integra, absolutaq; ipsius Auri, cuius naturam inuestigare proposuimus, cōmodius comparari posit.

ITaq; etsi multa præclara in mundo, solis efficatia & uirtute generantur, quæ sine admiratione propter præstantiam eximiam, contemplari haud possunt, sed cum hæ res tam firmæ aut solidæ non sint, ut durare constāter possent, aut persistere in se, aut in sua forma, Auri tamen comparationem tollerare & ferre non possunt, Ita enim Plinius libro. 33. capite. 4. in-

quit aurũ in igne cõstãter, et firmiter durat, nec corruptioni obnoxiũ est, ut cætera metalla, quæ aut omnino euanescunt, aut certè absumũtur igni sæpius adhibita, Auri uero inquit Plinius tanta fragilitas nõ est, sed totũ ignis examinatione forti quidẽ, remanet firmiter propter æquale tẽperamentũ & materiæ nobilissimæ, & maturimæ cõmixtiõrẽ, Propterea aurũ in se habet mollitudinẽ quãdã, quæ nobis indicat perfectissimã formã. Vt enim nos iudicamus, illos homines esse optimæ tẽperaturæ, qui habent mollissimas carnes. Sic quoq; aurũ eò esse cæteris metallis præstãtius, quod sit mollius, quoniam mollitudo, ut arguit optimam temperaturam, ita rursum durities, significat intemperiem & malam materiæ miscellam, & quasi quandam cruditatem, cuius rei illud est argumentum, quod nos cõsentimus, aurũ esse melius, quo mollius est, si igitur rerum temperatura est sua forma, quemadmodum sensit Galenus, & Alexander Aphrodisiensis in libello de mixtione. Et Aristoteles etiam, ex suis fundamẽtis idem sentire cogitur. certe Auri forma omnium metallorum erit nobilissima & præstantissima. Nam hæc necessario consequitur, mollitudo optima, optima tẽperatura, & optima partiũ ex quibus cõstat res, cõpositio & mixtura.

Quod uero metalla comburi & cremari possunt, fit propter unctuosum sulphur, & argenti uiui abundantiam. Cum enim metallum inæqualiter mixtum & constitutũ est, non potest se ab igne defendere, & tueri, aut ab alia qualicunque iniuria, ut experientia docemur.

At Aurum propter iustam, & æqualem proportionem, in quo terreum humidum tenet, et humidũ ter=

reum, non cremari poteſt, neque abſumi, ſed purgari.

Cum igitur Auri forma eſt perfecta & integra in aliam aut disſimilem formam metalli, aut ſpeciem, non poteſt transformari. Reliqua enim propter formam imperfectam, ut omnes philoſophi teſtantur, aſſumunt aliam, & ignis beneficio cocta Auri ſpeciem, aut argēti induunt, aut eam quam uolueris, quia materiæ in eis corruptibiles et impediētes, exactis depurationibus, et digeſtionibus, abſumuntur. Et deinde naturæ debilitas adiuuari poteſt, ut inducatur ſpecies peregrina & quaſi noua. Quo quidem argumento poteſt confirmari idipſum, quod paulo antè probabam. Nam ſi cætera metalla beneficio ignis poſſunt ſeſe induere in meliorem formā, eſt certe credibile immo neceſſarium, Auri formam eſſe perfectisſimam & abſolutisſimam, in quā cætera metalla natura duce enituntur. Vt enim materia ipſa prima, eſt in aſſidua mutatione propter ſuam imperfectionem, quia naturali quodam deſiderio appetit exornari & perfici meliori forma quàm habeat, ſic cætera metalla, quia & ipſa ſunt imperfecta, ideo formam præſtantiorem expetunt, quæ quidem eſt ipſius, in qua tanquam in ultimo fine acquieſcunt & exactisſime atq; abſolutisſimè perfitiuntur.

Iam uero Auicenna. Albertus magnus, & alij artis periti, idem ſcribunt, & fatentur, nec dubium eſt metallum imperfectè coctum peruenire ad aliquam meliorem proportionem, & talem mixtionem, ut perfecta iam & uera nobis uideantur effecta, & nihil aut parum diſtare, neque tamē affirmamus uirtutes cœleſtes artificioſis eſſe æquandas. Nam ars ipſa eſt naturæ

imitatrix & æmula, immo ipsius est imago.

Solum igitur Aurum uerum, coruptioni neq; transmutationi subiectum est. Ita enim natura formauit, ut neque fingi, uitiari, aut moueri possit, denique neque secerni, aut contaminari, neque partium coagmentatarum ullus est interitus aut discessus.

His ergo rationibus confirmati, nisi planè stupidi aut plumbei cēseri uolumus in physicis, in sequēti parte ubi dicturi sumus de Auri efficientia, & causa finali, iudicibus non supplices esse uolumus, sed contumatiam liberam defendendi adhibere, aduersus eos qui cornicū oculos effodere superbiunt.

CVm igitur de causis internis huc usque dictū sit, Ordo partiū propositæ descriptionis postulat, ut ad causas externas aggrediamur, nā nihil in se agit, neque à seipso patitur, ut Aristoteles in physicis docuit, sed ab aliqua ui externa moueri, est necessarium.

Ideo postequam qualis forma Auri educta sit ex potentia, & ueluti è quodam eius gremio, exposuerimus.

Propterea causa efficiens, & educens formāà nobis etiam superesset inuestiganda. Verum quia satis liquet ex his, quæ de colore, superiori loco attulimus, propterea cōsultò illā nunc prætermittimus, quin potius ad finem & usum accedendum est.

Siquidem finis, ut inquit Aristoteles, omnes naturæ actiones & artis opera regat, & necessitatem quandam cæteris causis imponat. Materia enim non patitur mutationes qualis qualis sit, nec forma in ipsa fingitur, beneficio efficiētis, ob aliud quā ut finis attin-

gatur & usus pro rei natura præstetur. Itaque restat nobis adhuc ultima ac necessaria causa, quæ aperiatur, & ea orationis perspicuitate demonstretur, qua cæteræ hactenus demõstratæ sunt. Sic enim fiet, ut cognitio omnibus causarũ generibus, uniuersa & integra Auri natura explicata sit. Nã ut principio nostræ methodi de Auri natura, & facultate proponebam, nunc nobis persuademus scire, cum principia propria, & qualitates suas planè scimus & intelligimus.

QVamobrem ut unumquodq; corpus, secundũ suã constitutionem & crasin, munus atq; officiũ tenet, & ratione materiei uirtutem & efficiẽtiam exerit, & ostendit. Aurum cum optimæ sit materiei, & decoctum ipso sole perfectè & integrè, & ita generatũ à natura, ut omni uacet uitio, nihilq; desit quod quidem omnium uirtutũ proprium in naturalibus corporibus est, & præcipuum.

Consentaneum nobis uideri debet, Aurum nõ exiguam aut contemnendam continere uirtutem. Et hoc quidem nobis cum Plinio, ex quo non exiguam prædicationem & declarationem ipsius Auri percepimus, conuenire debet. Cum ita censeat itaq; discerat:

Natiuum Aurum uenena depræhendit. Discurrunt enim in calicibus aureis, arcus cœlestibus similes, stridorem igneum efficientes, Auri extrudentis quasi uenena. Nec certè leuibus causis & rationibus philosophi omnes commoti sunt, cur Auro supremũ locum attribuerint, neq; nos temere in aßentiendo agere aut affirmare, sed omnium dictorum hic et aliàs sæpè sufficientes, & idoneas rationes adferre, conari uo-

lumus. LVculentæ enim, & satis dilucidæ uirtutes ipsius, cum in multis, tum uarijs ægritudinibus obseruatæ & conspectæ fuerunt.

Proinde quoniã in eo sit completa digestio, pro uera, & salutari medicina, immo nobilissima existimandũ est, propter cognationem seu συμπάθειαν, quæ est inter ipsum Aurum, & cor humanum, arcentur uenena ab ipso, neque illa ad cor admittit, & in omnibus extremis morbis suauiter ipsum recreat & reficit.

Hunc cibum enim saluberrimum & optimum aiunt omnes medici, & totius corporis sanguinem, & spiritus, multum augere, & suauissimè afficere, qui cũ substantia illius aliquid habet similitudinis. Quoniam uero Aurum maxime simile est temperamento humani cordis, & omnino conuenit, sequitur insignem quoque refectionem cordi præbere & suppeditare.

Quod si res ita habet ut testantur nõ ignobiles scriptores, certũ est nullum metallum proximius accedere ad cordis temperaturam. Nam præterquàm quod, ut modo dixi, ipsum ab omni iniuria defendit, etiamnum eius calorem mutatum reficit. Refectio autem, commode peragi non potest, nisi intercedat nutricatio.

Nutricatio porro ut Aristoteles scribit libro primo de Generatione & interitu, & Galenus in libro de Alimentis, nihil aliud est, quam quædam assimilatio.

Assimilantur autem, illa ipsa corpora, quæ cognatione temperaturæ inter se conspirant & coniunguntur. Propterea Galenus testatur, turdos cicuta nutriri, quia inter eorum temperamentum, & alimenti est mirus quidam consensus & similittdo siue συμ-

πάθεια. Rursus uero, idem Galenus, omniū bonarum rerum autor, sæpius fatetur uinum nigrum & rubeum facilius mutari in sanguinem, quam album, & quàm aquam. Id autem accidere propter similitudinem temperamenti, quæ cadit inter agens & ipsum patiēs. Ob hāc unam causam philosophi omnes conscripserunt, corporum quæ habent συμπάθειαν communem, facilē & reciprocam recipere, permutationem. Cæterum præter hanc συμπάθειαν, quæ longo usu depræhensa est, illud quoq;, propria & natiua qualitate, commodi & utilitatis cordi affert, nam cor, propter spirituum maximam copiam calidum est, atque etiam feruidum, sua autem frigiditate Aurum recreat & temperat. Ideo medici prudentes ac sapientes, in febribus pestilentibus opem ex Auro recipiunt; tum quia in hoc genere morbi, cor magnopere fatigatur & laborat, tum quia putredo, ut inquit Galenus libro primo de morborum differentijs & secundo putredo est causa ingentis caloris, quæ uitæ arcem inuadit & urget.

Quocirca Auri præsidio, & feruor et putredo arcetur, atque locus in quo sita est animalis salus defenditur. Quid quod semina lepræ seu elephantiæ, quæ omnino curari non poßunt, aut difficulter sanè, usu Auri arcentur. Cum enim sit ualde temperatū inter genera metallorum, hanc scabiem, quæ pesſimum est, & nocentisſimum uenenū, contaminans omnes humores, consumit. Et in omnibus calidis quàm frigidis causis morborum, propter partes, quæ in Auro repe= riuntur, ad quandam exactam temperaturam, à natura redactas tutisſimū est & perfectisſimum remediū.

Ob id neq; frustra aut temere Arabes principes medicinæ, in summo uitæ periculo & in acutis febribus, propter temperamentum æquale, Aurum cum margaritis contritum exhibuerũt, & simul in cordis tremore præ cæteris medicinis efficacissimum esse testantur.

Similiter in melancholicis ægritudinibus nihil unquam præciosius adhiberi potest. Segregat enim atram bilem ex uenis, & uincit illud uirus κακοήθηκον, ut noui spiritus, & sanguis generari possit. Digerit enim spiritus uitæ, & digestum seu decoctum χυμὸν, sua natura educit, & segregat, ideo omnes malos humores et qualitates malignas naturæ cõtrarias, à corpore expellit & extrahit. Nam ut percepimus cum Aurum, nullam corruptionem patiatur, ab his quatuor qualitatibus, nisi artificiose, quemadmodum nemo uidit ipsum putrefieri in aqua, nemo in igne comburi, nemo in eo eruginem animaduertit, nemo deniq; ab aere absumi, propter excellentem constitutionem, nullum dubium est, id præclarè operari, & agere in corporibus læsis & ægris. Argentum tenens locum secundum post Aurum minimè digestum & decoctum, & quanquam habet occultam & abditam in sese uim, tamen cum in ipso qualitates elementorum à sole non sint uictæ, & superatæ, ut immaturum sit & ægrum, minus magnis morbis succurrere potest. Sicq; de cæteris metallis sentiendum est. Curant morbos prout magis differant in perfectione & maturitate, & tamen externè, ut in emplastris adhiberi solẽt, propter impuritatem sulphuris abundantis, fœtidi, & adurentis, & pro[illegible] redundantes fæces. Aurũ uero unum

præcipuum est amuletum seu ut græci dicunt ἀλεξι-φάρμακα cordis, inter herbas, radices, lapides, margaritasq;. Soli enim ut audiuimus assimilatur, & Ioui adiudicatur, quare philosophi illud propter tēperatam naturam collaudant, soli quidē propter nitorē, Ioui propter temperiem, horum enim duorū luminū officiū est, & proprietas, ut spiritus uitales tribuant inferioribus partibus, quare non immerito affirmant philosophi, nullam rem aptiorem ad uitam humanā cōseruādā à corruptione excogitari aut reperiri posse, quàm Aurū, quod interiora penetrat mēbra propter halitus, ut sæpe experientia docuit multos, ubi ipsum aurū subtilissimè comminuissent, cū pulueribus cordiacis admixtū præbuisse. In cæteris.n.metallis multo ignobilioribus cernimus mirandā operationē & effectū. Sic enim Auicēna de calibe ait: Aquā in qua cadens extinguitur calibs, fluxum uentris restringere & intestina simul cōgregata connectere. Dicit.n.calibē, uirtutē constringendi & colligandi quasi uiscera habere. Sic in multis et uarijs, uidemus cæterorū quoq; uirtutes uenustas. Plubū.n.sæpius fusum in aquā, in qua lamina calibis, auri uel ferri, sunt extincta, indurescit, quia traxit aqua uim aliquā ex metallis calefactis, quā deinde plumbū assumit. Cōtrà plūbū, si funditur in aquā, et cū in eadē, ferrū aut calibs extinguitur, manifestè mollescit in aqua, quæ à plūbo mollitiē extraxit. Si itaq; in calibe experitur uis constringendi et in alijs aliæ uirtutes: quanto magis credēdum est, quod de auro nuper diximus, in quo nulla est corrupta materia, nihil est purius aut efficientius.

Quoniam ergo Aurũ uere arcet uenenum, & humores à suis uitijs purgat, ut in lepræ seminibus, & ægris incurabili peste tinctis, docti & experiẽtes uir compererunt & in omnibus grauissimis morbis. Nõ igitur sine causa alia catenarum usus, est inductus.

Etsi enim alij propter fastum explicant & in pectus disponunt, ut in conspectu positæ sint, alij propter dignitatem sese ornant. Tamen melior fuit ista causa, ut per earum usum, cum parti ipsi quæ στέρνον à Galeno dicitur, cor quod situm suum in ea parte habet, spiritus reciperet, corroboraretur & augeretur, & aduersa, seu peregrina incommoda, à corde depelleret et semoueret. Vt enim Magnes ferrum uiolenter, & Adamas propter συμπάθειαν, seu naturalem conuenientiam ad sese rapiunt, ita cor propter innatam cognationem & concordiam temperamenti, halitus Auri ad se recipit, ut inde recreetur. Est enim Aurum quasi quoddam fomentum & remedium præstans uitæ nostræ. Hinc annulorum quoque consuetudo orta est, & ab Aegiptijs primum inuenta, ut historijs commendatum est, ne par honos, & reuerentia promiscuè singulis esset sine discrimine, præcipuè tamen ualetudinis ratione. Ideo usitatum fuit apud eos, & ad nos permanauit quoque, ut annulus aureus, digito sinistræ manus, qui minimo est proximus adiungeretur, & nomen à re sortitus est medicus seu medicinalis, eo quod mirus est consensus, & conspiratio inter hunc digitũ, & cordis formam atq; substantiam, uel ut alij existimarunt, propterea quod in eum à corde uena cõtinuata sit, quæ à Rasi saluatella, ab Auicenna Sceylen à

Haly

Haly salubris dicta est, & procedit ex Basilica, ita enim dixerunt quod ad sanitatem uena illa multum cõferret. Quia & Galenus, ubi de curandi ratione, per sanguinis missionem capite. 14. & 16. disserit, disputat illam esse secandam in melancholia, quod splen ubi sedem habet, euacuaretur.

Itaq; cum cor sit fons uenarum ut Aristoteli placet, & arteriarum, hæc uena dicitur cor reficere aliquantulum per spiritus clàm traiectos.

Gellius in noctibus Atticis testatur Neruum quoq; à corde in illum digitum ubi salubris uena est sita, procedere, & illum esse cordis tanquam uicarium, ut importet cordi spiritus salutares.

Et cum natura sagax & prouida in multis uoluit cordi, tanquam regi arcis prouidere, nõ planè fabulosa uideri nobis debent. Nec propter manifestam causam Aegiptij medium digitum infamem non tantũ dixerunt, sed certis rationibus naturalibus, quidem, adducti fuerunt Aurum aliquid, in formam annuli, digito medicinali admouere.

Quas ob res, ut Balsamum uerum, nõ solum suauitate odoris, sed & facultate θεραπευτικῇ, omnium herbarum succis longè præstat & uulnera ingentia, paruo temporis spatio sanat: Ita aurum non tantum suo colore fulgidissimo, & gratissimo superat cætera metalla, sed etiam facultate sanandi. Et ut in summa quadam, & generatim rem comprehendam, ita auget, corroborat, & recreat naturam hominis ut ad uitam reuocasse uideatur. Conseruat itaque sanitatẽ,

expellit ægritudines. Et membris principalibus in primis inseruit, arcet à corde uenena, recreat arterias, dissoluit immunditiem pulmonis, consolidat uulnera, contētaq; in spiritualibus ipsumq; caput à catharro purgat & subleuat, denique & stomachum ipsum confortat & purgat, distrahit postremo mærorem, & ad lætitiam concitat & commouet, purgata enim melāchólia, qua hebetescunt spiritus suapte natura mobiles, homo mentis & animi tranquillitatem recipit.

Nihil ergo auro preciosius, nihil præclarius, aut amabilius excogitari potest.

Neque frustra Plato in Hipparcho est commotus, cur dixerit: Aurum non tantum cætera metalla superare, sed etiam duodecuplex fuisse in argenti comparatione, nec temere quesitum est de loco Pliniano lib. 33. cap. 3. Aureum nummum uicenis sestertijs ualuisse.

Atq; hactenus de Auro, quæ mihi in mētem uenerant, scriptis mandare uolui. Et quæ essent sua principia, causæ, & elementa, quibus usum & ornamenta addidimus, ut naturam imitati, bonos artifices sequeremur. Nam non solum opifitium suum, adhibitis partibus necessarijs primum format atq; effingit, sed etiam deinde formatum exornat, simili quoque rationis modo, naturam Auri, non modo satis nobis fuit explicare, sed etiam quibusdam notis illustrare, & proprijs laudibus commendare placuit, ex quibus palam fieret omnibus mortalibus, quemadmodū omnibus metallis argentum præstantius est, & argento excellentius Aurum: ita uirtutem multo omni genere metallo-

rum præstare, & excellere.

Has autem nostras commentationes quales quales sunt, si tibi & uiris doctis probari sensero & intellexero, ad Argentũ, & reliqua metalla præcipua illa quæ ad medicamenta pertinent, tradenda, & horum usum omnium, & qualitates euidentes & abditas, atque uniuersam naturam exponendam, quantum in me erit cõuertam, ne quid, quod ad rem metallicam spectat desiderari posſit.

Ea enim à me sunt expectanda & exoptanda, quæ expectari, & exoptari debent & poſſunt, ab homine Germano. Nam illam exactam & absolutam, & suis numeris plenam, nullaq; ex parte ceſſantem naturam, & cognitionem, reliquorum metallorum etiam (si dijs placet) auri inueniendam, & scriptis illuſtrandam, relinquemus nonnullis criticis, qui libenter ſeſe conſtituunt iudices, & censores aliorum scriptorum, cum ipſi nihil hactenus scriptis commendarint, nec si commẽdare tentarent, ullo modo poſſent. Nec id à me dictum exiſtimes uelim, quod de sua laude detraham ingenijs alienæ nationis, sunt enim uiri nonnulli & ingenio, & iuditio, & animi integritate, & morum probitate præſtantisſimi.

Sed hoc in eam ſententiam rapi uolo, ut intelligant ubique terrarum eſse & fœlicia & infœlicia ingenia, Vt enim ſuperioribus annis in Germania aliquos cognoui eſſe parum diligentes. Sic quoq; his temporibus quibus datum eſt mihi uerſari in alienis terris, id quod nunquam crediðiſſem multos offendi, multi quidem no-

minis sed meo iudicio, & etiam doctorum uirorum stupidos, truncos, quos tu nescias an boues sint qui loquãtur an homines, & quò nihil potest esse grauius, & detestabilius, sibi persuaserunt rerum cognitionem tenere, cum nec res, nec uerba, nec ipsa elementa unquã didicisse uideantur; in Germanos iactare nimirum Germanis adesse linguam, sed deesse pectus, hoc est philosophiam, quasi nobis miseris Deus optimus maximus, in omnes beneficus solis Germanis philosophandi rationem, & rerum naturas speculandi facultatẽ negauerit. Horum quidem stultam ignorantiam & insaniam æquo animo ferrem, nisi quidam ineptuli, & insulsuli ex nostratibus, ut & ipsi uideantur esse in numero philosophorum, illorum insaniã confouerent, quo fit ut mirum non sit, si ab huiusmodi imperitis, tum medicastris, tũ philosophastris seducti, in Germaniam longe imperitiores quàm uenerant antea, non ad medicinam faciendam, sed potius ad carnificinam sæpenumero tota patria dehonestata; & natione quasi per ipsos deformata redeant.

Itaq; in cæteris metallis tradendis philosophiam, an & nos, aliqua ex parte attigerimus, sumus ostẽsuri. Et ut isti trunci & stipites, quantum profecerint in philosophia, magnopere adhortor, aliquo scripto domostrent, & ne ueluti ignaui fuci laboriosæ apiculæ melle uescantur, & in turpissimo otio, & in maledicẽdi quodam genere uersantes alienis laboribus fruantur, sed de plumbo plumbei, & de lapide Molari ipsi Asini potius conscribant. Vale & tuo fauore contrà, à male=